



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 49. Petri Cluniacensis Epistola.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. In epistola autem ad S. Bernardum de  
 A.C. 1150. inde data, quomodo ab Eugenio Papa  
 receptus fuerit, his verbis narrat: *Me  
 bilari semper vultu dignatus est, dum alios  
 pro diversitate personarum & adjuncto-  
 rum vel amice vel severe intuebatur. Me  
 non nunquam viris majore dignitate ful-  
 gentibus præferebat, me pæne solum de  
 exteris ad consilium cum suis Romanis ad-  
 hibebat. Hæc publice; ubi autem pri-  
 vatim agebamus, nunquam fidelio-  
 rem Pontifice maximo amicum, nunquam mei  
 amantio-rem fratrem expertus sum. Lo-  
 quentem mansuete audiebat, prompte &  
 sincere respondebat, me comiter quasi æqua-  
 lem, etiam non nunquam reverenter quasi  
 superiorem habebat. Nihil fastum sa-  
 piebat, nihil supremum dominatum, sola  
 æquitas, humilitas, ratio imperabat.  
 Quæ petebam, vel cito concessit, vel tam  
 leniter denegavit, ut conquerendi causa  
 superesset nulla. Videram Eugenium  
 Romæ primo Pontificatus sui anno, vide-  
 ram eundem postea Cluniaci, Antissiodori,  
 Catalauni, Remis, ultimo autem Romæ  
 multo meliorem inveni.*

## §. XLIX.

*Petri Cluniacensis Epistola.*

Romu. Sa-  
 lern. ap.  
 Baron.  
 an. 1150. **R**ogerus Siciliae Rex, anno millesimo  
 centesimo quadragesimo nono, filio  
 suo primogenito Rogerio duce Apuliae  
 orba-

orbatus est, postquam jam ante tres  
 alios filios amisisset. Quare unicum ad-  
 huc superstitem, Guilielmum Principem  
 Capuæ, anno millesimo centesimo quin-  
 quagesimo Regem Siciliae coronari iussit.  
 Petrus vero Cluniacensis data epistola  
 Rogerium in funeribus filiorum conso-  
 latus est, in qua dicit, quod pro ani-  
 mabus illorum Missas celebrari, oratio-  
 nes ad Deum fundi & eleemosynas fieri  
 præceperit. Tum subjungit, quod mul-  
 tum doleat de inimicitiiis, quæ inter Ro-  
 gerium & Regem Teutonicorum versa-  
 rentur, & operam suam offert, scilicet  
 profecturum se in Germaniam, ut pa-  
 cem & concordiam inter ambos Reges  
 firmaret, & addit: *Est & aliud quod  
 longe magis accendit animos nostros &  
 omnium Gallorum nostrorum ad aman-  
 dam & quævendam pacem vestram, nimi-  
 rum lamentabilis & inaudita peregri-  
 nantium militum proditio, qua perfidi  
 Græci Christianorum exercitus perdide-  
 runt. Neminem Principum Christiano-  
 rum novi, quam vos ambos, qui totius  
 pene Galliae & Germaniae miserabili  
 fraude extinctum florem, ut par est, ul-  
 cisci possent. Surge igitur, optime Prin-  
 cept, ad bellum accingere, quod voce qui-  
 dem mea, sed tam meis quam omnium vo-  
 tis dico, vade in adiutorium populo Dei,  
 tot opprobria, tot injurias, tot mortes, tan-*

Sæcul. XII.  
 A.C. 1150.

6. ep. 16.

Sæcul. XII. *tum tamque impie effusum exercitus Dei*  
 A. G. 1150. *sanguinem vindica.* Verumtamen Græci  
 isti, in quorum cervices Rogerii Regis  
 arma immittere Abbas Cluniacensis fer-  
 venissime cupiebat, Christiani erant,  
 ne his stimulis opus erat Rogerio, quem  
 Græci jam diu hostem maxime formi-  
 dandum sentiebant.

§. L.

*Ecclesia Septentrionalis.**vit. an.**Boll. 19.**Sax to. 2.**p. 249.**Jo. Magn.**hist. Goth.**L. XVIII.**c. 18.**vit. Eric.**Boll.**18. Maji.**to 15. p. 187.*

Sub idem tempus Ecclesiam Sueciæ  
 Martyres duo illustrarunt, Henricus  
 Episcopus Upsaliæ, & Rex Ericus seu  
 Henricus, idem enim est nomen. Epi-  
 scopum, in Anglia natum, anno mil-  
 lesimo centesimo quadragesimo octavo  
 ordinaverat Nicolaus Episcopus Alba-  
 nensis, Papæ Legatus & ipse ex Gente  
 Anglorum, postea ad Summum Pon-  
 tificatum evedtus, & Hadrianus IV.  
 dictus. Ericus carissimus erat Henrico  
 Regi, cujus unica cura fuit Religionem  
 defendere & propagare atque Justitiæ  
 Regnum proferre; ita ut Leges ab eo  
 conditæ sequentibus Sæculis celeberrimæ  
 extiterint. Is etiam bellum gerendum  
 suscepit, adversus Finonienses, populos  
 adhuc infideles & nominis Christiani  
 hostes, postquam prius pacem obtulis-  
 set, si Fidem amplecti vellent. Porro  
 in hac expeditione, Episcopum Upsaliæ  
 habens